Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-144977-p0001-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-144977-p0002-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-144977-p0003-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-144977-p0004-0

7456.

24-11

Q. D. B. V.

AVSPICIIS RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI

DOMINI

DN. FRIDERICI AVGVSTI

SERENISSIMI PRINCIPIS REGI

1711 30

# ELECTA FORENSIA

PRAESIDE

IO. BALTHASARE VVERNHERO,

I. V. D. PANDECT. P. P. COLLEGIORVMQVE IVRIDICORVM ASSESSORE

IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

*AD D. IVL. M.DCCXI.*

H. L. Q. C.

PVBLICE EXAMINANDA

PROPONET

BENEDICTVS SIEGMVND GERLACH.

MISENENSIS.

*VITEMBERGAE APVD SAXONAS.*

EX OFFICINA CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYPOGR.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-144977-p0005-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-144977-p0006-2

## OBSERVATIO I.

# Actio quod metus cauſa in quadruplum adhuc hodie locum habet.

ARbitrariae actiones duum generum ſunt. Primo enim quaedam arbitrariae ideo ſunt, quod Iudicis arbitrio, quantum ob intereſſe loci praeſtandum ſit, definiendum relinquatur; qualis eſt *actio de eo, quod certo loco L. 1. 5. & 6. d. eo, quod cert. loc. Vinn. ad Inſt. §. 31. d. action.* Cuius generis actiones origine ſua ſtricti iuris ſunt; utpote ex conventionibus ſtricti iuris deſcendentes, ſed ex eo, quod alio loco in iudicium deducuntur, novam qualitatem induunt, & arbitrariae fiunt. Quod quidem negare auſus *Ant. Fab. 15. Coniect. c. 2. & Decad. 91. En. 5.* Sed ſolide refutatus eſt a *Bachovio Tr. de action. Diſp. 7. th. 3. Part. poſt.* Deinde actiones arbitrariae ſunt, quae ita ab arbitrio Iudicis pendent, ut, ſi huic non ſatisfiat, gravior aliqua condemnatio ſequatur, *§. 31. I. d. Action.* Vnde hoc ipſum exprimi ſolebat in formula, qua Praetor Iudicem in actionibus arbitrariis dabat, quae v. gr. in *Actione quod metus cauſa* talis erat: *Si apparet, rem metu eſſe extortam, nec ea arbitrio tuo reſtituatur, Iudex in quadruplum condemna. Barnab. Briſſon. d. formul. & ſolenn. Pop. R. verb. L. 5. p. m. 437. Bachov. c. l. th. 1.* Secundum hanc formulam igitur Iudici regulariter ita procedendum erat, ut primo cognoſceret, eſſetne res metu extorta, nec ne, deinde, hoc comperto, arbitrium, h. e. praeceptum de reſtituendo interponeret, cui ſi reus parebat, abſolvebatur, ſin minus, in quadruplum condemnabatur.

batur. Quocirca ſemper arbitrio, ſeu praecepto de reſtituendo opus erat; quod interlocutoriae ſententiae inſtar habebat, nec niſi ob contumaciam in non parendo admiſſam condemnatio in quadruplum fiebat. Arbitrium vero ita pronunciabatur: *Arbitror, te hoc modo actori ſatisfacere debere*; cum alia ſententiae dicendae ratio obtineret; de quo vid. *Car. Sigonius d. antiq. Iur. Pop. Rom. L. 1. d. iudic. c. 29. p. m. 444.* Vtrum vero Actio quod metus cauſa hodienum in foro germanico poſſit in quadruplum moveri, non convenit inter Iuris interpretes: Poenam hanc moribus exoleviſſe, et ſolum in ſimplum actionem dari, volunt *Struvius Ipr. Rom. germ. For. L. 3. tit. 22. §. 5. Groenvveg. ad L. 9. §. 6. ff. quod met. cauſ. VViſſenbach th. 14. eod. Mornac. ad L. 14. eod. Gudelin. d. jur. noviſſ. l. 3. c. 12. Dn. Thomaſ. Diſp. d. uſ. Act. poen. c. 31. §. 14.* Enimvero cum generaliter ius Romanum, atque adeo etiam, quoad actiones poenales in Germania receptum ſit, neque de abrogatione huius poenae conſtet, eandem adhuc locum habere, rationis eſt. Solo enim non uſu vis Legis haud perit, niſi contrarium uſu frequentatum, adeoque Legem contraria conſuetudine ſublatam eſſe, oſtendi poſſit. Quod circa quadruplum in actione quod metus cauſa contigiſſe, probari nequit. Neque vero minor hodie aut rarior hominum malitia eſt, ſuum aliis per vim extorquentium; ut poena tolli aut mitigari debeat. Maius dubium ex diverſitate modi procedendi in foro Romano & Germanico ſubnaſci videtur. Primo enim actionum arbitrariarum diſcrimen olim in conceptione formulae inprimis conſiſtebat; atqui formulae & impetrationes ſolennes Iure Novo abolitae ſunt, per tit. C. d. form. & impetr. ſubl. Deinde arbitrium ſemper praecedere oportebat ſententiam in quadruplum condemnatoriam; cum

hodie citra praevium talem iuſſum poſt probationes factas ſententia definitiva ferri ſoleat. Quo argumento aliqui colligunt, omnes omnino arbitrarias actiones ab uſu fori Germanici receſſiſſe. At enim vero, ſublata formularum ſolennitate, res ipſa non exolevit. Manet eadem actionum arbitrariarum natura, quod nempe reum, ſi ad arbitrium Iudiciis rem non reſtituat, gravius condemnari oporteat. *Huber. Prael. ad Inſt. tit. d. Action. §. 32. p. m. 507.* Quod vero arbitrium attinet, quod olim ſententiam definitivam, per modum interlocutionis antecedere ſolebat, utut regulariter illud interpoſitum fuiſſe, facile largiamur, non tamen expeditum evidensque eſt, de neceſſitate illud adeo fuiſſe, ut, eodem praetermiſſo, ad condemnationem in qvadruplum perveniri haud potuerit. Adeo enim exempla in textibus Iuris occurrentia variant, ut coniectura haud inanis ſit, id tantum Edictum, eiusve Interpretes ICtos velle, quod reus facultatem offerendi reſtitutionem usque ad ſententiam habeat, eumque in modum condemnationem in quadruplum evitare poſſit, *L. 14. §. 4. quod met. cauſ.* Quod niſi faciat, & eventum ſententiae expectet, tanquam fur manifeſtus una ſententia in quadruplum condemnari debet. Quae opinio eſt *VVeſenbecii ad. tit. quod met. cauſ. n. 6.* Sed faciamus, non aliter in quadruplum condemnationem olim locum habuiſſe, quam praevio Iudicis arbitrio ac praecepto; quid vetat, quo minus, mutata hodie procedendi ratione in foro, reus actione quod metus cauſa conventus, in una eademque ſententia & ad ſimplicem reſtitutionem intra tempus, quod iudicatis datur, ſaciendam, et eventualiter, ſi non reſtituerit, in quadruplum condemnetur? Quocirca actor etiam utramque petitionem ſubordinate in eodem libello hunc in modum

 con-

coniungere poteſt: *Peto, reſtitui rem, & ſi non reſtitues, intra tempus, quod datur iudicatis, peto te condemnari in quadruplum.* Iudex deinde pari modo utrumque una ſententia comprehendit huiusmodi formula: *Condemno te ad rem reſtituendam, & ſi non reſtitues, condemno te in quadruplum.* Vid. *Giphan. L. 4. Diſp. 43. n. 16. Müller. ad Struv. tit. quod met. cauſ. §. 20. p. m. 439.* Tempus vero illud, quod iudicatis datur, Iure Civili ſpatium quadrimeſtre, in Saxonia terminum Saxonicum 6. hebdom. et 3. dierum complectitur. Quamobrem exiſtimamus, utique hodienum in actione quod metus cauſa, ſi quis adverſus reum contumacem quadrupli reſtitutionem decerni petat, eidem a iudice deferendum eſſe. In quo praeter caeteros conſentiunt *Brunnem. ad L. 9. ff. quod met. cauſ. n. 20. B. Stryck. Uſ. Mod. ff. eod. §. 3. Dn. Schoepffer. Synopſ. Iur. eod. n. 19. fin.* In eandem ſententiam, cum eiusmodi caſus, ubi actor quadruplum in hac actione petierat, occurriſſet, reſpondere non dubitavit Ordo Vitembergenſis Menſ. Iun. 1710. in cauſa Carl Gottfried Hackens contra Hannß Chriſtian von Watzdorff / ad requiſitionem Regiminis Halenſis, Verb. ſent: Daß Bekl. Principal das libellirte Spiel-Geld derer 3000. Th. und zwar die hierunter mit begriffene pretioſa an Wagen und Pferden in natura nebenſt dem Intereſſe und verurſachten Unkoſten binnen vier Wöchentlicher Friſt an Intervenienten hinwieder zu erſtatten/in Verbleibung deßen aber das zu Recht dißfalls loco poenae geordnete triplum, alſo zuſammen 12000. Th. Capital ſamt den von Zeit an ihn gezahlten 3000. Th. hiervon auffgelauffenen vierfachen Intereſſe, wie nicht weniger denen anderweit auffgewandten Unkoſten denſelben zu bezahlen ſchuldig / V. R. W.

OBSER-

## OBSERVATIO II.

### In foro Saxonico ante reſignationem iudicialem dominii emtor nec Rei vindicationem, nec Actionem Publicianam habet, neque etiam hypothecam valide conſtituit.

Cum iure Romano ad transferendum dominium ſufficiat traditio rei, ex juſta cauſa in accipientem facta ab eo, qui ius & animum illud tranferendi habet. *§. 40. I. d. R. D. L. 9. §. 3. d. A. R. D.* Iure Saxonico Electorali novum reqviſitum qvoad bona immobilia acceſſit, nempe reſignatio iudicialis, die Gerichtliche Verzicht oder Aufflaßung. Deſcribitur haec reſignatio, quod ſit actus iudicialis, quo quis rem immobilem alienaturus, iuri ſuo ac dominio coram competente Iudice renunciat, ac rem pleno iure, mediante inveſtitura, in accipientem transfert. Igitur reſignatio haec tria complecti intelligitur, I. ut alienans ius ſuum iudicialiter reſignet. Landr. *Lib. 2. art. 30.* II. ut rem immobilem iudicialiter tradat. Weichbild *art. 60. in fin.* III. ut ſequatur inveſtitura iudicialis, die Anweiſung und Belehnung/ Weichbild *art. 20. verſ.* der Richter ſoll ꝛc. Neque enim inveſtitura tantum ad feuda pertinet, ſed etiam in ſenſu latiori accepta ad bona Emphytevtica, Cenſitica & quaevis allodialia applicari poteſt. Iure Lubecenſi locum inveſtiturae obtinere videtur relatio, ſeu inſcriptio in Librum Civitatis publicum, die Einſchreibung in der Stadt Erb-Buch/ *Ius Lubec. Lib. 3. d. 6. n. 1. & 2.* Caeterum cum antehac inter Carpzovium & Franzkium diſceptaretur, utrum iure Saxonico in omnibus bonis immobilibus transferendis reſignatio iudicialis neceſſaria eſſet.

ſet, litem illam ſuſtulit Potentiſſimus Legislator Sax. per *Deciſ. noviſſ. 61.* ubi Carpzovianae ſententiae publicum robur & vim legis adiecit, verb. Daß hinführo eine extraordinar Ubergabe/ und Einräumung eines unbeweglichen Stück Guthes nicht vor gnugſam gehalten/ ſondern nach üblichen Gerichts-Gebrauch und Art zu reden die Lehen/ auff vorgehende des vorigen Poſſeſſoris Aufflaßung ꝛc. gerichtlich erlanget werden ſollen. Ubi manifeſtum eſt, circa requiſita, quae iure ciuili ad transferendum rei dominium concurrere debent, nihil mutatum, ſed ſolum novum illis requiſitum, reſignationem iudicialem, adiectum eſſe. Unde conſequitur, ſolam reſignationem ac traditionem in iudicio factam, transferendi dominii effectum non aliter producere, quam ſi res inſuper a Domino, qui liberam eius adminiſtrationem habet, extraiudicialiter tradita ſit. Hinc, ſi duobus res vendita, priori emtori extraiudicialiter, poſteriori vero iudicialiter, mediante reſignatione ſolenni, tradita ſit, poſterior emtor contra priorem, qui rem poſſidet, experiri nequit, cum non appareat, qua actione uti poſſit. Non rei vindicatoria; cum per ſolam reſignationem ſine traditione extraiudiciali, dominium in ipſum haud quaquam tranſire potuerit. Nec in rem Publiciana; quippe quae itidem, rem traditam ac poſſeſſam ab actore fuiſſe, praeſtruit. Add. *L. 15. C. d. R. V.* Quid iuris vero, praeſtructo hoc novo reſignationis iudicialis requiſito, in emtorem per ſolam extraiudicialem traditionem in foro Saxonico tranſeat, dubium, nec ſatis expeditum eſt. Sunt, qui contendant, per nudam extraiudicialem traditionem non quidem plenum, ſed tamen ius aliquod reale transferri, dominio analogum. *Franzk. L. 2. Res. 12. & add. n. 9. ſeqq.* Hi ſequentem in modum fere militant. Primo argumentum ab Actione Publiciana ducunt, quae ob praeſum-

ſumtum ſeu quaſi dominium ei datur, qui a non Domino rem bona fide et iuſto titulo conſecutus eſt, *t. t. ff. d. Public. in rem act. §. 4. I. d. Action.* Vnde colligunt, multo magis genus quoddam dominii tribuendum eſſe illi, qui a vero Domino ex cauſa iuſta rem extraiudicialiter accepit; cum in hac praeter bonam fidem, iuſtum titulum et traditionem, inſuper qualitas ratione tradentis, qui verus Dominus eſt, concurrat. Deinde ad regulas rectae interpretationis provocant, quae ius Saxonicum hoc loco ceu exorbitans, & a iure Civili recedens, quam maxime reſtringi, atque adeo ita accipi iubeat, ut tantum plenum dominium, non vero minus plenum, aliudve illius genus ei denegetur, qui ſine iudiciali reſignatione rem immobilem extra iudicium ſibi traditam accepit. In ſubſidium porro vocant rationem dominii bonitarii, quod apud Romanos olim naturali ratione citra ſolennitates iuris acquirebatur; contradiſtinctum tam Quiritario, quam pleno. Vnde conficiunt, eum quidem, qui in Saxonia rem a Domino ex iuſta cauſa, mediante traditione extraiudiciali, et inſecuta deinceps reſignatione & inveſtitura iudiciali, accepit, dominio pleno potiri; illum vero, qui, nulla praecedente extraiudiciali traditione, tantum iudicialiter rem immobilem accepit, ius Quiritario dominio ſimile obtinere; denique penes eum, qui ſine reſignatione iudiciali rem extraiudicialiter ſibi traditam nactus eſt, ius eſſe bonitario Romanorum dominio ſimile; quod & ipſum inſignes effectus pariat. *Schilter. Exerc. 30. th. 46. Franzk. L. 2. Reſ. 12.* Amplius afferre ſolent, quod actio publiciana nullibi iure Saxonico ſublata ſit, atque adeo cuivis b. f. poſſeſſori, ſive a vero, ſive a non domino rem acceperit, competat. *B. Stryck. Vſ. Mod. ff. tit. d. public. in rem act. §. 3.* Alii longius progrediuntur, & verum do-

 minium

minium ſtatim per extraiudicialem traditionem ſine reſignatione iudiciali etiam in Saxonia tranſire volunt; idque *arg. §. 13. I. d. uſucapion.* Vbi cautum eſt, quod ad effectum uſucapionis inter venditorem & emtorem tempora coniungi debeant. Cum enim uſucapio, nec non facultas dicto modo tempora coniungendi, iure Saxonico nullibi ſublata ſit, eidem etiam poſt *Dec. 61.* locum eſſe, contendunt. Quamvis autem utraque haec opinio maxima veritatis ſpecie ſe commendet, libet tamen contrariam ſententiam amplecti, & quantum fieri poteſt, probabile reddere, quod in Saxonia Electorali poſt *Dec. noviſſ. 61.* nullo modo dominium ſive verum, ſive quaſi, per traditionem ſine reſignatione iudiciali factam transferatur, adeoque nec obtentu uſucapionis, ſive ex propria, ſive anteceſſorum perſona, rei vindicationi, nec actioni in rem Publicianae locus ſit. Nempe cum traditio extraiudicialis non transferat dominium, ſi is, qui tradit, verus dominus ſit, conſequi inde puto, ne quidem uſucapiendi conditionem ſine reſignatione iudiciali in emtorem tranſire. Qualis enim traditio eſſe debet, ſi verus dominus dominium ſuum in alterum derivare velit, talis etiam eſſe debet traditio, ſi non dominus uſucapiendi conditionem transferre cupiat; cum inter traditionem, per quam dominium tranſit, & eam, qua uſucapiendi conditio transfertur, nullum aliud diſcrimen intercedere queat, quam quod priori caſu res tradentis propria eſſe debeat; poſteriori autem aliena. Igitur ſimplex traditio ad uſucapiendi conditionem transferendam haud ſufficit, ſed iuſta ac legitima, h. e. talis eſſe debet, quae, ſi res tradentis propria eſſet, ipſum dominium translatura foret; atqui ad hoc in Saxonia reſignatione iudiciali opus eſt. Vnde quatuor hic diſtinguendi ſunt caſus. Primus eſt,

quo

quo venditor dominus eſt rei venditae, tunc enim tradendo eam, mediante reſignatione iudiciali, emtorem dominum conſtituit. Secundus caſus eſt, quo venditor rei alteri venditae dominium ipſe non habet, tunc eam mediante reſignatione iudiciali emtori tradendo, conditionem uſucapiendi transfert, non vero dominium, quippe quod ipſe non habet. Tertius caſus eſt, quo venditor rei venditae dominus non fuit, neque etiam rem legitime, facta reſignatione iudiciali, tradidit; tunc neque dominium transfert, quod ipſe non habet, neque uſucapiendi conditionem, cum deficiat traditio ad transferendum dominium habilis, quae non magis, quam titulus ad transferendum dominium inhabilis, uſucapiendi conditionem in alium derivare poteſt. Sicut enim titulus iuſtus inde aeſtimatur, ſi tranſiturum eſſet dominium, re a vero domino ex tali cauſa ſeu titulo tradita, ita etiam traditio ea demum iuſta eſſe intelligitur, quae habilis eſt ad transferendum dominium, h. e. per quam, ſi verus dominus rem tradat, dominium in accipientem tranſiturum eſt. Cum hoc caſu tertio cohaeret quartus, quo venditor dominus rei venditae eſt, ſed ſine reſignatione iudiciali rem emtori tradidit, tunc enim non magis in uſucapiendi conditione emtorem conſtituere poteſt, quam ſi non dominus rem tradidiſſet, praeſertim cum rationis ſit, ut impedimentum, quod acquiſitioni dominii civilis obſtat, ſi tradens ſit dominus, reſiſtat etiam acquiſitioni dominii praetorii, ſi non ſit. Vnde conſequitur, cum emtor ante reſignationem iudicialem propter defectum iuſtae ac legitimae traditionis uſucapere non poſſit rem venditam, & extraiudicialiter traditam, multo minus ipſum coniungendo ſua & autorum tempora dominum per uſucapionem effici poſſe; praeſertim cum alias, ſtante

hac hypotheſi, duo eiusdem rei eodem tempore in ſolidum domini futuri eſſent, in eodem dominii genere; quod fieri non poſſe, conſtat; atqui futurum eſſe, manifeſte liquet. Venditor enim, qui dominus rei venditae eſt, eo momento, quo rem emtori extraiudicialiter ſine reſignatione iudiciali tradit, emtorem iuxta memoratam hypotheſin ſtatim dominum efficit, quia anteceſſores tempus uſucapionis iam impleverunt, idemque tempus emtori prodeſſe debet. Eſt igitur emtor, quando rem venditam extraiudiciali traditione ſine praevia reſignatione iudiciali accipit, confeſtim dominus. Eſt vero etiam eodem tempore eiusdem in eodem dominii genere adhuc dominus in ſolidum ipſe venditor, quia dominum nondum iudicialiter reſignavit, Lege Saxonica ita expreſſe iubente, per *Dec. 61.* Equidem novi, quod duo poſſint eſſe rei Domini, ſi unus vere, alter ficte poſſideat, *L. 11. ff. d. liber. & poſth. hered. inſtit.* ſi unus actu, aler habitu ſit dominus, *L. 78. §. 8. d. legat. 2. L. 1. C. comm. d. legat.* ſi unus in exercitio, alter in quiete dominium habeat, *L. 30. C. d. non numer. pec.* Sed deſidero exemplum, ubi duo, eodem tempore, eiusdem rei dominium civile, ac velut Qviritarium, & ambo quidem eodem reſpectu, ſcilicet intuitu tertii, in ſolidum obtineant. Quod tamen ſtatuant, neceſſe eſt, qui emtori ante reſignationem iudicialem dominium ex uſucapione anteceſſorum tribuunt. Volunt enim, utrumque, & venditorem & emtorem, ita rei venditae & extraiudicialiter traditæ, dominũ eſſe, ut utrique poteſtas rem tertio vendendi, ac per inſequentem traditionem dominium transferendi competat, & ſaltem interſit, uter alterum praeveniat. Imo ex eodem principio conſecuturum eſt, plures, quam duos, eiusdem rei dominos in ſolidum, & eodem quidem reſpectu, ſcil. ratione tertii poſſeſſoris, qui

a ne-

a neutro, nec venditore, nec emeore, cauſam habet, eſſe poſſe. Fac enim, venditorem emtori ſine reſignatione iudiciali rem venditam tradidiſſe, habebit hic ex illa hypotheſi dominium per uſucapionem anteceſſorum ita, ut posſit alicui vendere, & tradendo dominium in eum rurſus transferre, & ſic venditorem praevenire, h. e. erit emtor reſpectu cuiuſque tertii, qui cauſam a venditore non habet, dominus in ſolidum; Erit vero etiam venditor, idemque, ſi forte poſſeſſionem rei venditae & emtori traditae recuperaverit, alii eam vendendo tradendoque, dominum eum, ſi in b. f. ſit emtor, efficere poteſt. Quod utrumque concedunt, quibus illa hypotheſis arridet. Iam fac ulterius, venditorem poſt recuperatam rei venditae ac primo emtori extraiudicialiter traditae poſſeſſionem, iure ſuo uti, & alteri eandem rem vendere ac tradere, & hunc rurſus alii, & illum alteri de novo in infinitum, ſed ſemper ſine reſignatione dominii iudiciali; erunt hi omnes, ſtante dicta hypotheſi, eiusdem rei venditae domini in ſolidum, & eodem quidem reſpectu, nempe intuitu v. gr. Caii, qui a nullo eorum cauſam habet, & forte poſſeſſionem nactus, rem detinet. Primus enim emtor per traditionem rei venditae, computatis temporibns anteceſſorum, dominus erit, quod dominum Ipſi per ſuſceptam de novo venditionem venditor auferre non potuit; venditor & ipſe dominus erit, quia neutri emtorum, quibus eandem rem vendidit, dominium iudicialiter reſignavit. Erit etiam ſecundus emtor dominus reſpectu Caii, nam & ipſi res vendita ac tradita eſt, atque adeo, computatis temporibus anteceſſorum, ex uſucapione dominum probat; nec Caius contra ipſum excipere poteſt, iam ante ipſum alii eandem rem venditam & traditam fuiſſe; cum haec exceptio ſit de iure tertii, qvae posſeſſori non prodeſt, praeſertim cum venditio & traditio

 rei

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-144977-p0017-3

rei primo emtori facta, haudqvaqvam impedimento fuerit, quo minus venditor retinuerit poreſtatem alium dominum efficiendi. Eadem porro ratio erit tertii & quarti emtoris, & ſic in infinitum omnes gaudebunt rei vindicatione contra Caium poſſeſſorem; nec ab eo per ullam exceptionem repelli poterunt, omnibuſque in promtu erit, ſuum dominium incontinenti, computum uſucapionis ex illa hypotheſi ineundo, demonſtrare. Nec vero intelligo, quomodo emtor novo emtori, cui ipſi rem rurſus vendidit & tradidit, dominium reſignare queat, quod ipſe per inveſtituram iudicialem haud accepit; neque etiam patet, quomodo venditorem praevenire, & alii rem vendendo eum dominum abſolute ac ſimpliciter efficere poſſit. Si enim emtor ipſe non eſt dominus reſpectu venditoris ante reſignationem iudicialem, uti illa hypotheſis vult, nec in alium tale dominium, quod etiam adverſus venditorem, eosque, qui cauſam ab ipſo habent, valeat, transferre poterit; neminem enim id, quod ipſe non habet, alteri dare poſſe, rationis eſt; atqui emtor iuxta eandem hypotheſin ante reſignationem iudicialem ex ſola uſucapione anteceſſorum non habet dominium reſpectu venditoris, ergo in alium eo cum effectu, ut etiam contra venditorem ſe exerat, idem derivare nequit. Sed & explicatu difficile videtur, quomodo per illam hypotheſin, *Dec. Elect. 61.* cum *§. 13. I. d. uſucap.* conciliari poſſit. Iure civili enim emtor, quamprimum rem venditam extraiudicialiter accepit, uſucapione anteceſſorum ſe adverſus omnes, etiam ipſum venditorem, eosque, qui cauſam deinceps ab ipſo habituri ſunt, ſe tueri poteſt; ſeu acquirit ex uſucapione dominium abſolute ac ſimpliciter, contra omnes indiſtincte valiturum. Quod ſi ergo per Deciſionem Electoralem, quae dominium ſine reſignatione iudiciali tranſire negat,

gat, nihil derogatum aut mutatum eſt circa uſucapionem, atque adeo iure civili hic ſtandum, conſequitur, etiam in Saxonia ex ſola uſucapione anteceſſorum tale dominium in emtorem tranſiturum eſſe, quod ipſum venditorem & eos, qui cauſam ab ipſo habent, non minus, quam alios omnes excluſurum ſit; quod tamen eidem hypotheſi repugnat. Nec vero idonea diverſitatis ratio inter venditorem & tertium haec eſſe videtur, quod emtor in culpa ſit, qui reſignationem dominii non urgeat; adeoque ſibi imputare debeat, quod iure dominii contra ipſum venditorem uti non poſſit. Primo enim eadem culpa pari iure etiam a tertio poſſeſſore urgeri poteſt. Deinde emtori contra ipſum venditorem, aut eos, qui cauſam ab ipſo habent, agenti, in promtu replica eſt, quod ipſi opus non ſit iudiciali reſignatione, cum ex diſpoſitione iuris civilis, computatis anteceſſorum temporibus, dominium iam acquiſiverit per uſucapionem; circa quam iure Saxonico Electorali nihil mutatum reperiatur. Accedit, quod hac ratione *cit. Dec.* nullum omnino effectum habitura eſſet; cum utique ſtatim, quoties quis rem ſuam alteri venderet, & extraiudicialiter traderet, dominium transferret, habita ratione uſucapionis ab anteceſſoribus impletae, quae emtori prodeſſe debet. Atqui hoc non pati Deciſionem tantae litis a Legislatore Saxone magna cura ſuſceptam, res ipſa monet. Quocirca, quamvis eadem Deciſio modi acquirendi per uſucapionem mentionem non faciat, hoc ipſo tamen per neceſſariam conſecutionem ei locum eſſe negat, dum, translationem dominii mediante traditione ſine reſignatione iudiciali fieri haud poſſe, ſancit. Genus enim complectitur utique Speciem. Quaecunque igitur Lex prohibet translationem dominii per traditionem ſine reſignatione iudiciali in genere, illa

etiam

etiam prohibet translationem dominii per uſucapionem, cum alias fruſtranea omnino futura eſſet. Eamque mentem Legislatoris, tum interpretationis regulae, quae ita ſemper inſtituenda, ne lex effectu careat, evincere videntur, tum generalis diſpoſitio, qua dominium ſine reſignatione iudiciali tranſire negatur. Et hae quidem praecipuae difficultates ac dubia ſunt, quae memoratam ſaepe hypotheſin premere videntur, forte ab Alio maioris Ingenii Iudiciique facili labore diluenda. Et operae pretium nobis fuerit, ſi ſaltem illuſtrandi illam confirmandique uberius occaſionem praebuiſſe videamur; praeſertim cum iisdem dubiis aliquando motum fuerit Dicaſterium, ut in contrariam ſententiam reſponderet; in Cauſa A. M. L. contra J. M. S. ut ex ſequentibus decidendi rationibus ſubiunctis apparet: Obwohl Kläger vermeinet / es habe / daß Beklagter von der Klage / immaßen ſie anbracht / zu entbinden / unmöglich erkandt werden können / in Erwegung / daß das Libell nach Art der hypothecarien Klage richtig gefaßet / die conſtitutio hypothecae erwieſen / die exceptio ordinis ſive debitoris principalis nondum excuſſi aber in Rechten keinen Grund habe / wenn / wie alhier / von einer ſpecial hypothec die Frage ſey / die Auffkündigung aber / ob ſie wohl nicht nöthig geweſen / dennoch nach Beklagtens Bekäntniß zum Uberfluß geſchehen / hierüber Klägers Meynung nach nichts zur Sache thut / daß Johann Chriſtian Tannebergk / als er das Hauß verpfändet / daßelbe noch nicht in Lehn und Würden gehabt / und Maria Hornin / von welcher er es erkaufft / ſich biß zum Abtrag der Kauff-Gelder das Eigenthumb daran vorbehalten / immaßen / was das letztere anlanget / dergleichen reſervationes dominii in der That mehr nicht / als eine hypothec, in ſich halten / und alſo die Verkäufferin pro domino ordinaria nicht

geachtet

geachtet werden können / In mehrer Erwegung / daß beſage des Kauff-Contracts fol. 129. Tannebergen das Hauß und Garten eigenthümlich verkaufft und abgetreten worden / des erſteren halber aber viel berühmte Rechts-Lehrer vermeinen / daß zwar vermöge der in Sachſen übl. Obſervanz und Chur-Sächßl. neueſten Deciſion das dominium Civile ohne Aufflaßung der Lehn nicht transferiret wird / gleichwohl aber der Käuffer immittelſt ein dominium praetorium oder bonitarium erlange / Krafft deßen ihm eine hypothec auff ſothanes Hauß zu bringen / unverwehret geweſen / allermaßen auch ein bonae fidei poſſeſſor hypothecam wohl conſtituiren kan / und in der hypothecarien Klage contra tertium nicht nöthig iſt / verum dominium oppignorantis zu erweiſen / und alhier Klägern ſo vielmehr zuſtatten kömbt / daß über die hypothec Obrigkeitl. Conſens erlanget worden / dannenhero daß obgedachtes Urthel zu reformiren / es das Anſehen gewinnen möchte. Dennoch aber und dieweil die Hornin / als ſie offterwehntes Hauß an Tannebergen verkaufft / ſich kein bloßes dominium ſubſidiarium reſerviret / ſondern die Gerichtl. tradition und reſignation biß nach Abtrag der völligen Kauff-Summa in Contract ſuſpendiret worden / nachdem aber dergleichen nicht erfolget / Verkäufferin daſſelbe ceſſante conditione wieder an ſich genommen / hiernechſt die Meynung / daß per reſignationem das dominium Civile oder bonitarium praetorium oder naturale alſofort bey Erlangung der poſſeſſ und traditione privata auff dem Käuffer komme / ſchon vorlängſt von Franzkio d. l. wieder Carpzovium verfochten werden wollen / wie denn jener auch / daß die Wittenbergiſchen Collegia ſeiner Meinung beygethan / anzuführen weiß / gleichwoohl aber per Dec. 61. Carpzovii Meinung ſchlechter dings Beyfall erhalten / und ſothanes Landes Geſetz

C    von

vom dominio civili allein nicht verſtanden werden mag/ weil theils dieſes unter denen Sächß. Rechts-Lehrern niemahls ſtreitig geweſen/ theils dieſe diſpoſition bey nahe gantz vergeblich ſeyn würde/ indem bey unbewglichen Güthern bey nahe unmöglich/ daß man ſeine Vorwirthe oder Anteceſſores binnen 30. Jahren her nicht ſolte nahmhafft machen/ und dergeſtalt durch Beybringung der Uſucapion die Verordnung der neuen Sächß. Rechte eludiren können/ da beneben die Leges civiles alhier nicht zu appliciren/ in Betrachtung/ daß die Lehns Aufflaßung bey denen Römern gar unbekandt geweſen/ und mit der ceſſion in iure keine Gemeinſchafft hat/ in übrigen ein ſolcher Käuffer auch pro bonae fidei poſſeſſore nicht zu halten/ weil ihm nicht unbewuſt/ wem das Grundſtück zuſtehe/ bonae vero fidei poſſeſſor non eſt, qui dominum novit; So ſind wir/ wie im Urthel enthalten/ zuerkennen bewogen worden.

## OBSERVATIO III.

### Leuteratio propterea non eſt deſerta, quod Leuterans non curavit, citationem concipi, & Leuterato inſinuari.

Aliter opinatur *B. Ziegler. Introd. ad Proc. Cap. 16. §. 36.* ubi ita loquitur: *Ut maxime Iudex citationem conceperit, eaque in Actis inventa fuerit, niſi tamen Leuterans eam inſinuari leuterato fecerit, Leuteratio pro deſerta habebitur.* Atque ita Menſ. Mai. 1689. iudicatum eſſe refert. Enimvero conſtat, fatalia proceſſus, praeter neceſſitatem & lege ſilente, multiplicanda haud eſſe. Atqui *O. P. S. tit. 35.* ad ſuſtinendam Leuterationis formam actualem citationis emiſſionem tum demum requirit, ſi Leuterans

terans tantum in ſchedula Leuterationis, non vero deinceps ſeparatim terminum proſecutionis praefigi, petierit. Verb: So wollen wir/ daß es an dem/ wenn einer alsbald bey der Leuterung um citation zur proſecution angeſuchet/ da er hierauff ſolche citation nicht auch würcklich außbringet/ nicht gnug. Ceterum, ſi leuterans extra ſchedulam leuterationis ſeparatim petierit citationem, officio ſuo defunctus eſſe intelligitur, quamvis ea nec emiſſa, nec in Actis concepta fuerit; cum hoc Iudicis factum Leuteranti, qui formam a Lege praeſcriptam obſervavit, nullo modo praeiudicare debeat. At qve hanc ſententiam quotidie pronunciando, ſine difficultate, ſequimur.

## OBSERVATIO IV.

## Sola notitia atteſtatorum aliunde, quam ex eorum publicatione, hauſta reprobationem per teſtes regulariter haud excludit.

Notiſſimi iuris eſt, quod regulariter quis ad reprobationem per teſtes non admittatur, poſteaquam atteſtata didicit, *Nov. 90. c. 4. Cap. cum veniſſet 15. X. de teſtib.* Qvod ob metum ſubornationis conſtitutum eſt; ne teſtes, perſpectis cognitisque eorum depoſitionibus, ad eas evertendas turbandaſque inducantur. Atenimvero ſingularis haec diſpoſitio iuris reſtringenda eſt ad caſum ſolennis publicationis, vel ubi quis facto & voluntate ſua, unde conſenſus in publicationem argui poſſit, teſtificata didicit. Igitur via reprobationi nequaquam praecluſa intelligitur, ſi quis aliunde, v. g. a teſte notitiam atteſtatorum hauſerit; praeſertim cum eiusmodi ſcientia vix plena & accura-

curata eſſe ſoleat; perfunctoria autem reprobationem aut ulteriorem teſtium productionem impedire non poſſit. *Gail. L. 1. O. 105. n. 3.* Add *Mev. P. 3. O. 345.* Unde in caſu, quo per imprudentiam rotulum Actis inſeruerat Actuarius, reprobationem reo, atteſtata quamvis inſpexiſſet, indultam fuiſſe, memorat *Dn. Rivin. ad O. P. S. tit. 21. En. 19.* Eundem in modum ſententiam dixit Ordo Vitembergenſis Mens. Iun. 1710. ad requiſitionem Johann Bernhardt Roßen / Fürſtl. Sächß. Geſammten Rath und Amtmanns in cauſa Friedrich Lauchens contra die Gemeinde zu Mannſtedt / Verb. ſent: Daß des von Klägern beſchehenen Vorwendens ungeachtet mit Eydlicher Abhörung derer von Beklagten angegebenen Zeugen gebührend billig zu verfahren.

## OBSERVATIO V.

### Ocularis Inſpectio quocunque tempore Proceſſus peti poteſt, quamvis intra terminum Saxonicum ſub Articulis probatorialibus inducta fuerit.

Oculari Inſpectioni ſemper locus eſt, etiam poſt atteſtata publicata, & concluſionem in cauſa; imo & poſt rem iudicatam, & in ipſo Executionis actu, vid. *O. P. S. tit. 28.* ibique *B. Ziegler. in not. Brunnem Proc. c. 22. n. 2.* Cum ſententia, quae per facti evidentiam elidi poteſt, nunquam in rem iudicatam tranſire intelligatur. *Brunnem. ad L. 8. §. 1. n. 7. ff. fin. regund.* Quid vero, ſi is, cui probatio incumbit, intra fatale probationis ſub articulis probatorialibus ad ocularem iuſpectionem provocet, an ſic illa eodem iure cum documentis & teſtibus cenſenda erit, eo

cum effectu, ut, ſi deinceps circa eam urgendam & impetrandam ſe negligentem quis exhibuerit, ea poſt terminm publicationis amplius locum haud inveniat. Ita primo intuitu videri poſſit; cum is, qui intra probationis fatale ad ocularem inſpectionem ſub articulis provocavit, per omnia eandem memorato fatali ſubieciſſe videatur; exemplo eius, qui, cum demonſtratio nuda nulli certo termino adſtricta eſſet, adeoque ſemper fieri poſſet, dilationem petiit, adeoque terminum Saxonicum pro fatali agnovit. At enimvero tenendum eſt, ocularem inſpectionem, cum ſemper, ut dixi, fieri poſſit, etiam intra ſpatium Saxonicum probationi definitum induci ac peti poſſe, citra ullum petentis praeiudicium; quippe qui iuri circa inſpectionem ocularem competenti haudquaquam renunciaſſe videri poteſt; praeſertim cum etiam ex officio eadem a iudice decerni poſſit; nec iuris ſui renunciatio facile praeſumi debeat. Nec vero exemplum a demonſtratione petitum quicquam evincit; cum ibi, expetita dilatione, nulla omnino alia praeſumtio, quam ad certum fatale ſe adſtringendi, capi poſſit. Ita Ordo Vitembergenſis Menſ. Iul. 1710. ad conſultationem Carl Chriſtian Marchens/ Ambtmanns zu Stolpen/ in cauſa der Gemeinde zu Langen Wolmsdorff/ contra Hanß Leiner/ Verb. ſent. Daß mit der geſuchten ocular-Inſpection des von Bekl. beſchehenen Vorwendens ungeachtet, gebührend billig zu verfahren. Rat. dec. Klägere haben in ihrer Beſcheinigung eine Ocular-Inſpection und Außmeſſung Beklagtens Aeckere angeſuchet. Dieweil aber die citation fol. 60. auch hierauff nicht eingerichtet geweſen / noch Kläger de vigilantia proteſtiret / und in Termino productionis zugleich um Bewerckſtelligung dieſer Inſpection und Außmeſſung gebethen/ vermeinet Beklagter/ daß ſie mit dieſen

modo probandi nicht mehr zu hören / ſondern ſich daran verſäumet. Alldieweil aber die Beweiſung auff den Augenſchein an kein fatale gebunden/ und ſolche auch poſt rem iudicatam in Executione geſchehen kan / quia ubi per evidentiam facti conſtat de iniquitate ſententiae, iſtiusmodi ſententia nunquam tranſit in rem iudicatam, *Ziegler. ad tit. 28. d. I.* Hiernechſt die fatalia nicht zu multipliciren/ auch nirgends wo geordnet / daß durch Anhaltung um dergleichen Inſpection bey denen Articuln ſich iemand darzu verbinde/ daß er praeciſe und bey Verluſt die Inſpection in Termino productionis fodern/oder bewerckſtelligen müſte.&c.

## OBSERVATIO VI.

